

DISSE<sup>T</sup>ATI<sup>O</sup> JURIS PUBLICI  
*DE*

COALITIO-  
NE DIVERSARUM  
GERMANIAE  
REGIONUM,

ASSISTENTE DIVINA GRATIA  
*In illustri Academia Marburgensi,*

PRAESIDE

*Viro Nobilissimo Amplissimo & Consultissimo*

DN. JOH. WILHELMO

*Waldschmiedt /*

U. J. D. Profell. Juris & Philosoph. Pract. Ordinario  
h. t. Academiæ RECTORE Magnifico,  
*Præceptore ac Patrono eternum Venerando,*

Publicæ disquisitioni

Ad Diem XV. Martii MDCCXIV.

IN AUDITORIO JCTORUM

submitte


*A. & R.*

JACOBUS ECK, Colonensis.

*Marburgi Cottorum, Typis Henningi Müller, Acad. Typ.*

6  
860  
1714, 1.

DEO  
PARENTIBUS  
COGNATIS  
PATRONIS atque AMICIS  
SACRUM ESTO.



## PRÆFAMEN.

Us Germaniæ Publicum, universum Imperium at-  
tinens serò pro dignitate suâ excultum, ast serius  
multò & neclum satis jura, quibus singulæ Re-  
giones utuntur, exposita reperiuntur; Sicut etiam  
primi illius cultores necessariis adminiculis desti-  
tuti fuere, ità quoque, qui primi de his Germaniæ  
Regionibus quidquam literis prodiderunt, solius Ro-  
manæ Jurisprudentiæ cognitione imbuti, quod ullibi de  
Jurisdictione ejusque indole in foro Romano legerant,  
Regionum Dominis, earumq[ue] sublimi potestati nefariō  
ausu applicarunt. Propiū ad fontes genuinos accessit  
*Andreas Knichen* editō tractatu de *Jure territorii, & de*  
*regio ac sublimi territorii jure*, ipse tamen multa immi-  
scens aliena, & præjudiciis ex antiquo Rom. Reip. statu  
assumptis se abripi passus. Insecuti alii, sub titulō *re-*  
*grium* argumentum hoc occuparunt, ast constitutioni  
merè locali, cīque extraneæ, z. *Fend. 56.* incautè nimium  
adhæserunt. Demum huic J.P. parti duorum illustrium  
Virorum *Seckendorffii* & *Ludolphi Hugonis* insignia scri-  
pta plurimū lucis foenerārunt, quorum ille quidem  
in libro *Deutscher Fürsten-Staat* Principatum con-  
ditionem sigillatim aperit, multaque utilissima instituta  
suggerit; Hic in Dissertatione, de *Statu regionum Germa- niae*, varias earum species, Ordinum Imperii originem ac  
progressum superioritatis territorialis indolem & partes,  
formam regiminis in Principatibus ac Civitatibus, defæ-  
catō judiciō & summā cum circumspectione solidè de-  
scribit. Horum merita non exæquavit, suâ tamen lau-  
de


¶ O ¶

de haud defraudandus est Mylerus ab Ehrenbach/ in primis  
quod librum de Princip. & Stat. Imp. attinet. De scri-  
piis personatis, sed diversi ponderis, Relfendō Heromont.  
de summā Princip. Germ. potestate, & Cesar. Furſtnerii de  
Jure suprematū dicere nunc non vacat. Promiserat equi-  
dem Conringius de Region. Germ. librum singularem,  
verū morte Viri incomparabilis ejus expectatio inter-  
cidit. Ut tamen hāc spe nos frustratos & quiore animō fe-  
ramus, Dissertationes hujus argumenti à B. Dn. Hertio  
editæ, solidâ eruditione refertæ efficere valent. Aliorum  
merita recensere nunc non licet; Quin potius ad proposi-  
tum nostrum proprius accedimus. Selegimus nimirum  
argumentum Commentationis Academicæ, quod & ma-  
jorem Imperii Remp. & simul ipsas Germ. Regiones re-  
spicit, ad quod excolendum, præmissâ non itâ pridem  
*Dissert. Polit. præliminari de Coalit. diversarum Civitatum,*  
dum ad ipsum thema Juris Publici progredimur, de coaliti-  
onis iustitiâ intuitu jurium Germ. Publicorum; De formu-  
lis coalit. diversis; De causis eam inducentibus. De firma-  
mentis coalit. ejusque effectibus, tam intuitu majoris Reip.  
quam singularum Regionum habitâ ratione, tum & de con-  
trariis, an scil. & quomodo itâ coalitæ Regiones iterum dis-  
solvi queant, aliquot speciminibus differere nobis consti-  
tutum. Eam verò cautionem ubique adhibebimus, ut  
intra stateram subsistamus, & in iis quæstionibus, quarum  
disceptatio adhuc sub judice versatur, recensio tamen ob  
argumenti connexionem omitti non potest, modò pror-  
sus innoxio versemur, controversiæ statum & argumenta  
utriusque partis, debitâ modestiâ exhibeamus, sententiæ  
ferendæ facultate, iis ad quos periret in solidum relictâ.  
Annuat proposito Deus propitius, faveatque Lector!

DISSE-

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>O</sup> I JURIS PUBLICI  
*De*  
COALITIONE DIVER-  
SARUM GERMANIAE RE-  
GIONUM.

§. I.



X quô Germania universa, cùm pri-  
mitius communi publicæ rei vinculō  
non cohæsisset, in unum quoddam  
civile corpus coaluit, varias equi-  
dēta mutationes ac vicissitudines  
experta, non aliam tamen majorem  
terum commutationem unquam  
subiit, ac postquam eminentis illa  
potestas, Superioritas Territorialis,  
quâ Regionum Domini pollent, ad suum fastigium per-  
venit. Cùm enim antea universum Imperium, unâ Re-  
publicâ animatum, territoria quæ continebat, regimine  
subalternō, eoque ministeriali administrasset, abhinc in  
partibus ejus complura quasi peculiaria Regna ac Respu-  
blicæ exorta sunt (a) quæ tamen simul in Rempublicam  
communem, sed ab ipsis distinctam conspirant. Indeque ad-  
huc hodie Imperii Germanici, quæ nunc eō nomine cen-  
tentur

A


sentur

sentur latissimè diffusa spatia, in superiori Republicâ uno  
velut communi vinculô ac spiritu equidem connecti, sed  
tamen in varias partes simul segregari, quarum singulæ  
suas res atque possessiones, sua jura, & quoddam suum  
~~notitiam revma~~ in se complectantur, notius est, quam ut multis  
hic probari debeat; Et eo, ut alia nunc omittamus, du-  
plex ille respectus pertinet, quō Ordines Imperii vel ut  
unum corpus, vel intuitu jurium suorum, quæ cùm majori  
Republicâ nihil commune habent, ut singuli, in ipsis LL.  
Publicis, considerantur. (b) Has Imperii partes *speciales*  
*Respublicas* insignivit Hertius. Aliis *Statūs* audiunt *dīe*  
*Reichs-Staaten*, verū in usu *Juris Publici* nomen  
*Statūs* ad Jus ipsum, ac personas eodem gaudentes fre-  
quentius applicatur, & sic non adeò latè patet, ut omnes  
Imperii partes immediatas comprehendat. Ludolphus  
Hugo, eas *Regiones Germania* concinnè satìs insignivit,  
quatenus non solum territoria, sed & res ac personæ inibi  
comprehensæ hoc nomine denotantur; (c) Ejus vestigii  
& nos jam insistimus ipsasque *Regiones* describimus,  
quod sint partes *Imperii immediatae*, ac *superioritate terri-  
toriali instructæ*; eoglibera; nisi quatenus *communi* *Impe-  
rii* *Reip. subjectæ*. (d)

(a) Quod *Regiones Germaniae* ad instar peculiarium Re-  
rump. se habeant, eruditè probat prælaudatus Hugo de Stat. Reg.  
*Germ.* cap. 2. §. 4. & seq. Et H. Conringius ad *Lamp.* p. 3. c. 5.  
§. 1. disertè affirmat: *Principatus Germanie parva & nonnihil*  
*imperfecta regna esse*. Idem d. l. ad §. 26. addit: *jam ab aliquot*  
*seculis singulos Principatus, si tenuem feudi nexum excipias in to-*  
*tidem ferè libera regna evassisse*. Quod peculiares quasi civitates  
constituant, agnoscit Schilter *Inst. Jur. P. Tom. I. lib. 2. tit. 1. §. 20.*  
& *Exercit. de Jure peregr.* §. 12.

(b) Vid. *Instrum. Pacis Westph.* art. V. §. 52.

(c) *Conf.*



(c) Conf. Hert. de special. Imp. Rebusp. Diff. I. §. 1.

(d) Conf. Hert. d. l. §. 2. ubi evincit, nec justæ regionum magnitudinis, nec juris sessionis ac voti in Comitiis, in hæc descriptione mentionem requiri.

§. II. Quibus verò gradibus hæc mutatio ad complementum processerit, quô tempore illud contigerit, ut hic disquiramus, instituti ratio non permittit, & alibi, quid sentiamus, prolixè jam professi sumus. Quin potius (quod ille, apud Tacitum (e) aliò quamvis in sensu aebat) *memores temporum, quibus nati sumus, quam Civitatem maiores instituerint, præsentia tantum sequimur*; atque adeò Regiones, ut animatas superioritate territoriali (quæ summae potestatis analoga, & inveteratae possessio-  
nis, defensionis legitimæ in tantis Imperii turbis, paetio-  
num, confirmationis ac munificentia Cæsareæ, aliisque le-  
gititimis titulis munita est) hic intuemur. Sicut autem omnium in hòc mundò sublunari parva initia, quæ de-  
inceps multarum accessione partium, sensim augentur,  
& incrementa capiunt, paulatimque juncta firmius co-  
harent. Ità non secùs Principatum, aliarumque Ger-  
maniae Regionum complures, modicis opibus primitus fundati, postea firmati ac vehementer aucti, suis jam &  
validis mole viribus sustinentur. Quòd verò ea, quæ sub universali v. c. Ducatus aut Principatus territoriò hodie comprehenduntur, non unius conditionis sint, nec singula illius partes unò eodemque titulò possideantur, aut primitus acquisitæ sint, nemini ignotum. Sæpius enim Regioni, feudali vinculò Imp. & Imperiò obstrictæ allo-  
dia nonnulla, titulò particulari accedunt; Usuvenire etiam soler, ut utraque per incorporationem conjungan-  
tur & sub universâ Principatus investiturâ comprehendan-

tur. Aut novus planè ex pluribus Regionibus fit contextus. Quin & variis ex causis aliis, diversisque sub formulis Regiones antea distinctæ sub uno communī Dominiō, vel in perpetuum, vel ad tempus conjunctæ reperiuntur, aut noviter adhuc conjuguntur; Eoque Regiones Germaniæ, cum insigni rerum & jurium differentiâ, eam mutationem subeunt, quam *coalitionis* nomine hic designamus, & cuius intuitu præsentem operam suscepimus.

(e) *Lib. IV. Histor. cap. 26.*

*§. III.* Ex ipsō argumenti selectu, de *coalitione diversarum Regionum* concep'ō, ut & ex hac tenus dictis facilè jam appetet, ab institutō nostrō planè alienum esse, ut hīc expendamus quā ratione populi Germaniæ validissimi, suam quique Civitatem seorsim habentes, in unum paulatim corpus coiverint, ac demum Carolus Magnus ad res maximas, à Divinā providentiâ, novum orbis Europæ habitum moliente destinatus, sub communī unitus Francie regni Republicā Germaniam universam cum Galliis complexus sit. Nec magis ad scopum nostrum pertinent, incrementa ac decrementa, quæ Germania, ex quō à reliquis, regni Francici partibus separata, sensit. Pari ratione huc non spectant vincula illa quibus major Imperii Respublica in universum continetur. Nec illam *coalitionem* attendimus, quā feuda Imperii aperta, eidem incorporanda sunt, ejus tamen non aliud succurrit exemplum, quam Adolphi Imp. Missiam anno 1292. ad corpus Imperii revocantis. (f) Quin potius ad Regiones ipsas, in personā communis Rectoris per modum successionis singularis, *coalescentes* unicè intenti sumus.

(f) Vid. Trihemii *Chron. Hirsaug.* ad d. ann. Add. Conring. *ad Lampad. p. 2. §. ult.*

*§. IV. Eam*

5

§. IV. Eam verò, quam diximus *coalitionem* jam  
potrò describimus, quod sit *diversarum Germania Regionum*, quarum singula hactenus seorsim suos Rectores haberant, sub uno communi Rectori ac Domini, legitimè facta *conjunction*: Pro ejus intellectu, omnia illa repetita volumus, quæ de nomine *coalitionis*, ejusque ambitu, in *Diss. pralim.* adduximus, & prout ibidem monuimus, nos quoad personam communis imperantis, unitatem potius moralem quam naturalem designare, ita eodem in sensu unius Rectoris & hîc mentionem fecimus. Prius vero quam ad alia pergamus, illud adhuc præmittendum censemus, quod passim equidem, in *Decisionibus*, aliisque *Scriptis JCtorum* (g) *Practicis*, quæstiones ad hanc materiam pertinentes non motæ solùm sed & diffusè sèpius pertractatae inveniantur; Fritschius etiam in peculiari *tratatu de unione ac incorporatione bonorum, in primis provinciarum*, tum & *Iterus de Feudis Imperii* ejusdem argumenti complura collegerint; Verum sicut priores à fontibus genuinis ad lacunas ut plurimum diverterunt, & in argomento, intimiora Jprud. Publicæ adyta pervadente, rationes decidendi, ex fontibus Juris Romani sine deleitu assumserunt, aut in cœcō auctoritatis præjudicio acquievunt; ita posteriores quoque non stipulas solùm ad spicilegium, sed potius uberrimam messem aliorum industriae adhuc reliquise, quilibet facile deprehendet.

(g) Eorum loca diligenter consignavit Strauch. *de oppignorat. rer. Imp. §. 46.*

§. V. Ad ipsam thematis evolutionem pertinentibus, ex præscriptâ methodi Lege, nunc primô locô dispensandum venit, an publici Jutis rationi *coalitio diversarum Germania Regionum* conveniat? In cuius dijunctioine, si ad

ad primordia Rcp. Germanicæ ascendere vellemus, latissimus se nobis aperiret dicendi campus. Etenim jam tum sub Regibus Francorum, stirpis Merovingicæ Ducum potestas in tantum crevit, ut uni plures Comitatus subjici cœperint, idque notissimum Aimoini (*b*) locus, in primis evincit, ubi *pipinum Grifonem Ducum more duodecim Comitatibus donasse*, memorat. Et quanquam Carolus M. fractis magnis ac formidandarum opum Ducatis, singulos in plures Comitatus descripsérunt, nullique Comitum, nisi qui in confinio Barbarorum constituti erant, plus quam unum Comitatum concesserunt, (*i*) sub ejus tamen posteris, Comitatus denuò in Ducatus redigi cœperunt, eoque potentia cœrerunt, ut postremis familiae Carolingicæ temporibus, universa Germania in solos quinque Ducatus divideretur. (*k*) Verum à fiduciariâ illius ævi Ducum & Comitum potestate, ad præsentem Germania statum nihil hâc in parte inferri posse, quilibet facilè intelligit. Indeque nec de coniunctionibus plurium Episcopatum, quæ hâc ætate contigerunt, quidquam addimus. Quin potius ad illa tempora pergimus, quibus Procerum potestas majori specie se ostentavit, ac tandem ad fastigium suum pervenit.

(*b*) *Lib. IV. Histor. cap. 4. ad ann. 748.* Quando autem Pithœus *L. I. Advers. cap. 8.* Frécherus ad *Petr. de Andlo Lib. II. cap. 11.* aliisque perpetuum fuisse, ut singulis Ducibus duodecim Comites subessent, exinde evincere conantur; Eos complura Gregorii Turon. loca, ut *Lib. II. c. 20. Lib. VIII. c. 18. & 26.* aliaque illius ævi monumenta satis refellunt, vid. *Dad. Alteserra Lib. I. de Dnc. & Com. Gall. c. 4.* *Pontan. Lib. VI. Orig. Frane. cap. 13.* Ut planè causam non habuerit Goldastus in *Animadv. ad Egînh. vitam Car. M. cap. 6.* (quarum editionem Cl. Dn. Schminckio debemus) cur in eandem sententiam alia Aimoini loca interpolaret. Add. *Bignon. ad Form. Mirculsi Lib. I. cap. 8.*

(*i*) *Vid.*

(i) Vid. Monachus San-Gallensis *Lib. I. de gest. Car. M. cap.*  
14. ubi hoc institutum, pro ratione illorum temporum, eximiè  
laudat. (k) Vid. Luitprandus *Lib. 2. Hist. cap. 3.*

¶. VI. Cum autem Germania Regiones, diversis  
nominibus ac titulis distinguantur, ac vel Principatus,  
vel Comitatus vel Baronatus vel Civitates Imperiales au-  
diant; quin & reliqua Imperii Membra immediata, ut ut  
jus Comitiorum obeundorum non habeant, indeque nec  
in Ordinibus Imperii censeantur, *coalitionum* exempla  
nobis præbeant; Ideò primò loco, quid in genere ad quæ-  
stionem propositam respondendum sit, dispiciemus, ab-  
hinc vero specialia nonnulla subjugemus. Et quidem  
Imperii statum paulò penitus introspicienti, *Coalitionem*  
*diversarum regionum* licitam regulariter dicendam esse,  
facile apparet. Prout enim Jus Germaniae Publicum &  
scriptis LL. & observantia Imperiali (l) continetur, ita hu-  
iusmodi conjunctionibus nulla lex Imperii nominatim ob-  
stat, quotidiana vero & satis diuturna observantia easdem  
luculenter potius confirmat: Ipse Conringius, ut ut huic  
causæ non adest faveat, (m) fatetur tamen, *licentiam va-*  
*riarum provinciarum in unum corpus congerendarum, nullis*  
*unquam Legibus coarctatam fuisse.* Sanè Regionum Do-  
mini & titulis & insignibus plurium territoriorum liberè  
utuntur, & si *coalitæ* Regiones feudales sint, ab Imp.  
earum nomine investiuntur, ipsaque suffragia in Comitiis  
pro numerô, junctorum etiam territoriorum multipli-  
cantur. Præterea & illa huic causæ, suô modô, patroci-  
nantur quæ de conjunctione plurium regnum ejusque  
moralitate apud Grotium d. J. B. & P. L. II. c. 9. §. 9. aliosq;  
legimus. Fieri tamen potest, ut pasta renunciativa, aliaque  
justa impedimenta, *coalitionibus* obstent, & sic, quæ supra  
in regulâ diximus, officium suum perdant. (l) Cu-

(l) Cujus intuitu Henricus IV. Imp. apud Krantz. *Saxon.*  
*Lib. VI Cap. 46.* ajebat: *Veteres approbamus, ut tenemur, Im-*  
*perii nostri consuetudines: quo circa major, an minor, aequo no-*  
*bis discriminē est:* add. Radev. de Gest. Frid. Imp. *Lib. I. cap. 16.*  
*Kulpis, de Observant. Imp.*

(m) *Ad Lampad. P. II. in fine & P. III. cap. 5. §. 5.*  
 §. VII. Sed in dijudicandā Coalitionis legalitate ad  
 ipsas Regionum species progredimur. Cum autem Pri-  
 cipatus in Electorales & non Electorales, utriusque in Ec-  
 clesiasticos ac seculares dividantur, Electoratus, primō  
 locō, quod attinet, gravissimā & multipli Dd. dissensu  
 involuta quæstio obvenit, an unus Princeps plures Elec-  
 toratus simul tenere possit? Circa quam, dum supra factæ  
 professionis memores sumus, LL. Publicis rem non  
 æquè defnientibus, aliorum sententias referre nobis suf-  
 ficiet. Et quidem Limneus (n) in proposita quæstionis  
 evolutione reliquis prolixior, collatis rationum momen-  
 tis affirmativam non obscurè amplectitur. E contrario  
 Fritschius (o) totus in cō est, ut negativam adstruat.  
 Alii, medianam viam eligentes, distinctionibus rem confi-  
 cere tentant. Hos inter, nonnulli Archiofficium territo-  
 riō Electoralī, cohærens, ab ipsō territoriō secernendum  
 putant, ita ut hoc quidem, illi, qui ex justā successionē,  
 jus quæstūm habet, auferri nequeat, illud verò cum aliō  
 Archiofficiō in eādem personā consistere haud possit, sed  
 tali casu existente, alterutrum ut vacet, necesse sit (p)  
 rum & dispiciendum esse, an combinatio Electoratum  
 ex jure, vigore successionis quæstū, an ex spontanē  
 Imp concessione & investiturā contingat. (q) Reliqui,  
 coniunctionem futuram à jam factā, (r) simulque quæ-  
 stionem consiliū, à quæstione Juris secernunt. Verūm no-  
 bis hic *απέκει* constitutum est. (s)

(n) Tom.

- (n) Tom. I. Addit. ad Jur. Publ. Lib. III. cap. 7. pag. 342.  
 (o) Volum. II. Exerc. 7. P. 3, in append.  
 (p) Vid. Cocceji 7. P. Cap. XIV. §. 18.  
 (q) Conf. H. Hermes Fascic. 7. P. cap. 14. nuns. 26.  
 (r) Et ita Limnaeus quoque suam sententiam d. l. temperat.  
 (s) Quod etiam facit Schwyder. 7. P. p. 2. §. 2. cap. 3. §. 9.  
 ibique allegatus Schützius. Conf. tamen, quæ in effectibus co-  
 at. dicentur.

§. VIII. Quoad Principatus Ecclesiasticos, (sub  
 quibus Archiepiscopatus, Magisterium Ordinis Teutonici,  
 Episcopatus, Magisterium Ordinis Johannitici, & Abba-  
 tiæ Principales continentur) eorum coalitioni Pontificum  
 Constitutiones, ac Conciliorum decreta, per plura equi-  
 dem secula restiterunt. Ità jam Seculô XII. Alexandrum  
 III. in Synodo Romæ congregatâ decrevisse, ne quis duas  
 simul haberet Pralaturas, si quis verò haberet, alterutram  
 resignaret, indeque Ulricum à Degerfeld Abbatem Sangal-  
 lensem ac Episcopum Curiensem coactum fuisse, ut retenta  
 Abbatiâ, Episcopatum resignaret, testatur Bruschius. (t)  
 Idemque non solùm in Conciliô Lateranensi sub Inno-  
 centio III. annô 1215, habitô, disertè caustum, sed & serò  
 adhuc in Conciliô Tridentinô (u) repetitum fuit: ne quis  
 in posterum duo beneficia Ecclesiastica, duosq. Episcopatus  
 possideat. Indeque prælaudatus Bruschius, postquam (v)  
 memoraverat, Albertum Archiepiscopum Magdeburgensem  
 in Archiepiscopum Moguntinum quoque electum fuisse, addit:  
 Sic unus duabus Archiepiscopalibus sedibus simul gubernan-  
 dis, consensu Leonis X. praefectus est, quod haec tenus inaudî-  
 tum erat, & nulli unquam Principi contigerat.

(t) In Catalogo Episc. Curiensium ad ann. 1182. Joannis  
 Qualterii (sub quô nomine Janus Gruterus latere voluit) Chrono-  
 ghenic. inserto:

B

(u) Soff.

(w) *Sess. XXIV. Decret. 17. Add. c. 1. 2. 3. C. 21. Q. 1. & seqq.*  
*Q. 2. c. 3. Cap. 54. X. de elec*t*. & elec*t*. pot. cap. 28. X. de prabend.*  
*ibique Gonzalez, qui Conciliorum decreta longâ serie ibidem*  
*exhibit, ac inter alias prohibitionis rationes & hanc refert, quod,*  
*quemadmodum haud liceat, duas uxores cōdem tempore habere, ita*  
*nec duas Ecclesias simul obtinere, cum inter Ecclesiam & suum*  
*rectorem spirituale matrimonium contrahatur.*

(v) In Catal. Episcop. Mogunt. ad ann. 1514. d.l.

¶ IX. *Enimverò in remotioribus seculis, san-*  
*tiones istae non ubique adeò rigidè observatae fuere. Præ-*  
*terquam enim quod ipsi canones certos casus excipiunt,*  
*in quibus plura beneficia in unâ personâ concurrere pos-*  
*sint, ut, si quis unum in titulum, alterum in commendam*  
*habeat, aut plura beneficia ita coalescant, ut planè unian-*  
*tur, & alterum alteri incorporetur, aut denique beneficia*  
*cumulata tenuerit & modicum emolummentum ferant.* (vv)  
*Episcopatum aliarumque Regionum Ecclesiasticarum,*  
*sub uno capite junctarum, & ex illò avô, aliqua ut ut*  
*rariora, exempla supersunt. Ita diplomati Friderici II.*  
*anni 1220. apud Wilhelmum Hedam (x) Conradum Me-*  
*sensem & Spirensen Episcopum, Imperialis aula Cancellarium*  
*subscripsisse legimus. Archiepiscopum Colonensem simul*  
*Episcopum Paderbornensem fuisse ad ann. 1496. memorat*  
*Trithemius. (y) Henricum Archiepiscopum Bremensem,*  
*simul Monasteriensem Episcopatum obtinuisse ad ann.*  
*1476. refert Stangefolius (z) Cardinalem Leodiensem, tri-*  
*bus Episcopatibus regendis jam præpositum, in Episco-*  
*pum Ultrajectivum multorum votis expeditum fuisse, idem*  
*Heda (.) memoravit. De ipsâ quoque Conciliii Tri-*  
*dentini, supra memoratâ sanctione Paulus Sarpius (b) an-*  
*notavit: Dello statuto dell' unità, o al più della dualità de*  
*Beneficii, da ogni persona saria fu giudicato, che questo se-*  
*culo*

culo non ne era degno, & che non sarebbe servato, se non  
in qualche miseri. Addit Sfortia Pallavicinus: (c) hæc in  
Conciliò quidem statuta fuisse, sed manus Pontificis hoc ipsò  
ligatas non esse, eumque autoritatem habere sanctiones  
Concilii relaxandi, Sed quicquid sit de istis Pontificis  
sanctionibus, certè observantiam Imperialem quod atti-  
net, è duobus proximè elapsis seculis, ejusmodi conjun-  
ctionum in Germania factarum, frequentissima prostant  
exempla, qualia Imhofius (d) annotavit, & nos alià  
occasione pluribus referemus. Illud verò ex priscō more  
adhuc superest, quod unius Ecclesie Episcopus, in alterā  
sine induitu Pontificis eligi nequeat, sed postulari debeat,  
eoque dispensatione Pontificis indigeat. (e) Quæstionem  
consilii, quam circa conjunctiones Regionum Ecclesia-  
sticatum movet Conring, (f) infra expendemus.

(vv) Vid. Gonzalez ad d. c. 28. X. de præbend. num. 12.

(x) In Historiâ Ultraject. pag. m. 213.

(y) In Chron. Sponheim. ad. d. ann.

(z) Lib. III. Annal. Westph. apud Hertii in d. Diff. 2. §. 30.

(a) in allegata Hift. Ultraject. pag. m. 329.

(b) Hift. del Concil. Trident. Lib. VIII. pag. m. 811.

(c) Hift. Concil. Trident. Lib. XXIII. cap. II. num. 6. quam  
rectè verò hoc scribat Pallavicinus, hic examinare non vacat.

(d) In Not. Proc. Imp. Lib. III. cap. 14 & passim.

(e) Vid. Hert. Tom. II. Opusc. pag. 465. & seq. Quod autem  
non obstante conjugii spiritualis ratione, Pontifex licet dispensare  
queat, de cō prælaudatus Gonzalez. d. I. Non tamen inde infer-  
ras, quod sicut in pluralitate uxorum, qua Juri Divinò repugnat,  
Pontifex dispensare nequit, ita nec in beneficiorum pluralitate;  
Nam equiparatio ista, non in omnibus procedit, cum vinculum  
hoc spirituale, non conjugium sed quasi dicatur, unde cum plu-  
ralitas uxorum juri divinò contraria sit, beneficiorum vero plu-

*Etas iuri positivo tantum aduersetur, ideo in polygamia carnali  
Pontifex dispensare non posset, bene tamen in spirituali.  
(f) in Dissert. de Constitut. Episcop. Germ. §. 90.*

**§. X.** Eādem observantia Imperiali conjunctio Regionum secularium cum Ecclesiasticis dudum firmata fuit. Ex quō enim civilis gubernatio Episcopis concedi cœpit, (g) sub titulis secularibus, non solum in suis Episcopatibus secularis potestas ipsis tributa fuit, (h) sed integras etiam Regiones profanas deinceps obtinuerunt. Quā ratione Otto M. Fratri suo Brunoni, (i) ArchiEpiscopō Coloniensi Ducatum Lotharingię concesserit, suōque exemplō, ut idem facerent, successoribus auctor fuerit, notius est, quām ut multis hīc commemorari debeat. Quomodo partem Ducatus Westphaliae & Angrīz, post Henrici Leonis proscriptionem, Fridericus I. Imp. Philippō Archiepiscopō Coloniensi & successoribus concesserit, ex ipso diplomate, quod Gelenius (l) exhibet, appetat; Ex eōdem Gelenio & alia incrementa secularia, quæ terris Archiepiscopalibus accessere, cognosci possunt. De Comitatu Lōssensi Episcopatui Leodiensi conjunctō, memorabile diploma suō locō producemus. Ex recentiori ævō Regionum Ecclesiasticarum & secularium sub uno capite junctarum, complura quoque suppetunt exempla; Quorum recensum tunc instituemus, cùm formulas coalitionum diversas enumereare, & singula exempla ad suam classēm revocare debitur. Illud vero hōc in locō prætermittere haud possumus, circa questionem an Princeps, aliave persona Ordinis Ecclesiastici, in Regione seculari quæ feudum Imperiale, jus succedendi, sibi afferere, eāque ratione coalitio, diverfarum hujusmodi Regionum in personā commu-

communis Domini, contingere possit non unum dubium  
subnatum esse. Etenim non solum in Aurea Bullâ *cap. 7.*  
*§. 2.* disertè cautum, ut in Electoratu successurus sit Lai-  
cus, sed & in Jure Feudali Alemanno, *cap. 1. §. 4.* cui  
hâc in parte Longobardica Feudorum placita *2. Feud. 30.*  
*& 36. §.* qui clericus exactè consonant, Clerici à successio-  
ne feudali nominatim excluduntur. Enimvero, cum ne-  
mo rerum Imperii tam imperitus sit, qui nesciat, quod  
Episcopi, aliique Ecclesiastici Imperii Proceres, appella-  
tionem à functione muneris Ecclesiastici retentam qui-  
dem sortiantur, simul tamen Personam secularem susti-  
neant, indeque vulgatum verbum sit, Episcopos Ger-  
maniae non tantum ut Ecclesiasticos, sed etiam ut Pro-  
fanos Principes spectari, ac duplicem hodie personam su-  
stinere, (*m*) observantiâ quoque Imperiali, in tantâ exem-  
plorum frequentiâ, res ferè definita sit, dubia illa facili ne-  
gotio expediri possunt, (*n*) Denique, ceu singulare, ob-  
servavit Sixtinus (*o*) Episcopalem dignitatem pra secularium  
Principatum dignitate in eô quoque eminere, quod bi titu-  
lis Episcoporum postponantur, idque etiam fiat in secula-  
ribus Principibus ad Episcopalem dignitatem evectis, nîse  
sit Archiducalis dignitas, qua Episcopali præponi soleat.  
Quod si vero Comites vel Barones Episcopi sint, nulla tunc  
Comitatus vel Baronatus in titulis fiat mentio, de quô alio  
in loco, ubi de effectibus coalit. quoad titulos & insignia  
agendum, plura dicemus.

(*g*) Vid. Herti Differ. de orig. & progressu special. Imp. Re-  
rum p. 5. 6. 7. 16.

(*h*) Vid. Cocceji 7. P. Cap. XIIII. Sect. I. §. 14. quem locum  
alibi pluribus expendemus, ubi quoque de Episcopo Herbip-  
lensi & titulô Ducis Franconiae dicemus.

(i) De cujus laudibus vid. *VVittichind. Lib. I. annal. ibique Meibom.*

(k) Vid. *Magn. Chron. Belg. pag. 80.*

(l) *De admirandâ sacrâ & civili magnitud. Coloniae Agripp. Lib. I. Synt. 7. pag. 73.* Et quoniam hoc diploma in seqq. nobis denuò usuveniet, id ipsum hic inscreremus.

In nomine Sancta & Individua Trinitatis: Fridericus Di-  
vinâ facente Clementia Romanorum Imperator Augustus. Quo-  
niam humana labilis est memoria, & turbe rerum non sufficit:  
prædecessorum etatis noſtre, Divinorum Imperatorum & Regum  
decrevit auctoritas, literis annotare, qua fluentium temporum an-  
tiquitas à notitia hominum conservit alienare. Proinde tam pre-  
sentium quam futurorum imperii fidelium noverit universitas,  
qualiter Henricus quondam Dux Bavaria & VVestphalia, eo quod  
ecclesiârum Dei & Nobilium Imperii libertatem, possessiones eorum  
occupando, & iura eorum immixtuendo graviter opprimit. Ex  
instanti Principum querimonia, & Nobilium plurimorum; quia  
citatione vocatus Majestati noſtre presentari contempserit, & pro  
hac contumacia proscriptionis noſtra inciderit sententiam. Dein-  
de quoniam in ecclesiâ Dei & Principum & Nobilium iura & li-  
bertatem gravari non destiterit, tam pro illorum injuria, quam  
pro multiplici contemptu Nobis exhibuit, ac præcipue pro evi-  
denti reatu Majestatis, & sub Fœdali jure legitimâ, triuò editio  
ad Noſtram citius audiuntiam, eo quod se absentasset, nec ali-  
quem pro se misisset responſalem, contumax judicatus est, ac pro-  
inde tam Ducatus Bavaria quam VVestphalia, & Angaria, quam  
etiam universa, que ab imperio tenuerit beneficia per unanimem  
Principum sententiam, in solemnî curia VVirziburg celebrata &  
adjudicata sunt. Noſtroque iuri addicta & potestati: Nos iraq;  
habitâ cum Principibus deliberatione communâ ipsorum consilio  
Ducarum, qui dicuntur VVestphalia & Angaria, in \* divisimus, &  
consideratione meritorum, quibus dilectus Princeps noster Philippus  
Coloniensis Archiepiscopus ob honorem imperialis \* corone promo-  
vendum & manuteneendum nec rerum diffundia, nec persona for-  
midans pericula, Gratia Imperialis promerui privilegiam: unam  
partem eam videlicet, qua in Episcopatum Coloniensem & per to-  
tum

\* Duo.

\* Sceptri.

sum Parheburnensem Episcopatum protendebatur, cum omni iure  
 & jurisdictione, videlicet cum Comitatibus, cum Advocatiis, cum  
 Conductibus, cum Mansis, cum Curtibus, cum Beneficiis, cum  
 Ministerialibus, cum Mancipiis, & cum omnibus ad eundem  
 Ducarum pertinentibus ecclesia Colonensi legitimò donationis titulò  
 Imperatoria liberalitate contulimus, & requisita à Principibus sen-  
 tientia an id fieri liceret, adjudicata & communi Principum &  
 totius curia assensu approbata, accedente quoque publicò consensu  
 dilecti Consanguinei nostri Duci Bernhardi, cui reliquam partem  
 Ducatus concessimus; præmemoratum Archiepiscopum Philippum  
 portione illâ ducatus sua collata ecclesia vexillo Imperiali solemni-  
 ter investitivimus: Hanc igitur legitimam Majestatis Nostræ do-  
 nationem & investituram Colonensi Ecclesiæ & sepedicto Principi  
 nostro Philippo Archiepiscopo omnibusque suis successoribus confir-  
 manus, & in omne posteritatis avum eis ratam permanere volen-  
 tes, ne quis eam ansu temerario infringere, vel quomodo liber vio-  
 lare attemperaverit, Imperiali edito inhibemus, & hanc nostram  
 constitutionem presenti privilegio aurea Excellentie Nostra Bulla  
 insignito corroboramus authenticè: Testibus annotatis qui huit fa-  
 eto interfuerunt, sunt autem hi. Arnoldus Trevirensis Archiepi-  
 scopus. Wigmannus Magdeburgensis Archiepiscopus. Conradus  
 Salsburgensis — & alii quam plures.

Signum Domini Friderici Rom.  
 Imperatoris Invictissimi.

### Monogramma.

Ego Godefridus Imperialis Aula Cancellarius, Vice Christiani  
 Moguntinensis Sedis Archiepiscopi & Germania archicancellaria, re-  
 cognovi. Acta sum bac an. Dominica incarnationis MCLXXX.  
 Indict. XIII. Regnante Domino Friderico Roman. Imperat. Invictissimo,  
 Anno regni ejus XXIX. Imperii vero XXVI. Feliciter.  
 Amen. Datum in solemni curia in Gelinghausen in territorio Mo-  
 guntino Idibus Aprilis.

(m) Vid. Merckelbach. apud Klock. Tom. 1. conf. 14. num. 71.  
 Ibi: Das im H. Reich Deutscher Nation die Bischöfße nicht bloß  
 lich vor Geistliche/ sondern auch vor weltliche Stände anzus-  
 schen.

(n) Add.

(n) Add. Iter de Fendis Imperii cap. 14. §. 23. Rosenthal.  
de fend. cap. 7. concl. 29. num. 9. Conring. ad Lampad. pag. 347.  
(o) de Regal Lib. 1. cap. 4. num. 127.

§. XI. Succedunt Principatus Seculares (sub quibus Archiducatus, Ducatus, Principatus in specie sic dicti, Marchionatus, Landgraviatus ac Burggraviatus Principales (p) comprehenduntur) quorum ut & Comitatuum sublimi potestati, *coalitio* aliarum Regionum, insigne robur dudum circumposuit, pluribus quoque potentiam Regiā non inferiorem conciliavit. Unde *Comitus* jam pridem & sic satis frequenter in unum corpus cogi cœpisse, circa Principatus id serius factum esse, observat Conringius (q) Et Ulricus Obrechtus (r) ex Historia Germanicæ Monumentis luculenter ostendit, jam olim sepius evenisse ut conjunctus Ducatu Comitatus, in titulorum descriptione & ipse Ducatus appellatione designaretur. Quod verò adhuc hodie singuli ferè Imperii Proceres, plures sub se Regiones habeant, vix hospes rerum Germanicarum ignorare poterit, & in tantâ evidentiâ observantiam Imperiale pluribus exemplis hâc in parte firmare velle, supervacaneum ducimus. (s) Evidem antiquiorum temporum memoriam recolenti, unum, quod *coalitionis* diversarum Regionum obstat videtur, occurret. Cum enim Lotharius II. Imp. Henrico, genero suo, cui Bavaria (longè tum temporis amplissima, ipsamque Austriam complectens) addicte jam parebat, Saxoniam quoque subjecisset, & sic Henricus ille cui ob spiritu tantâ potentia inflatos, Superbi cognomen inditum, universam Saxoniam & Westphaliā ab Albi ad Rhenum cum Bavaria aliisque Regionibus simul obtinuisset, deinceps mortuū Lothariū Imp. successor ejus Conradus (in serie Reguna

Regum Rom. prout etiam diplomatibus subscriptum, huius nominis II. in Germanorum Regum serie III. ditionibus Henricum privaturus injustitiam possessionis duorum Principatum obtendit, ita enim Helmoldus: (t) *Conradus Rex in solium regni levatus, Adalbertum in Ducatum firmare natus est, injustum esse perhibens, quenquam Principum duos tenere Ducatus, nam Henricus duplē sibi vendicabat Principatum, Bavaria atque Saxonia; Bellabant igitur hi Principes duorum sororum filii intestinis preliis, & commota est universa Saxonia: idemque filio Henrico Leoni paternas possessiones repentinae oppositum fuisse, disertè memorat.* Quod ipsum tamen quale fuerit, facile intelligitur. Ut enim de fontibus dissensionum inter Hohenstauffios & Guelfos, tum & quod Henricus Leonis pater Conradus spem augustae dignitatis prævertere cogitaverit, jam nihil addamus, quæ tamen Imperatorem altâ mente repositô habuissé, Otto Frisingensis (u) non obscurè prodidit, exempla plurim Principatum sub uno capite junctorum & antea non defuerunt, & insequentibus temporibus complura contigerunt. De lege verò, quæ id prohiberet, nec vola, nec vestigium uspiam appetat. Præterea ipse sibi contradixit Conradus cum iù statueret, quippe qui (ut ex Helmoldo audivimus) Alberto Urso jam ante Marchioni, eique Princi, exuvias Henrici Leonis destinabat, eoque uni duos Principatus subesse posse fateri necessum habebat. Unde & aliae exauctorionis causæ in diplomate supra adducto allegantur. In universum verò ad hodierna tempora nihil inde concludi potest, eoquæ pertinent verba Cel. Autoris *Germania Principis* (v) is postquam mémoraverat maiores Ducum Brunsvicens. inauditō exemplo duobus

C

Ducas

Ducatibus simul imperasse, indeque quæstionem enatam esse, an unus Princeps duobus præesse queat Ducatibus? addit: *Hodie cum ad militaria servitia Germania Ducatus non amplius alligati sint, quis dubitabit, unam personam plures sustinere dignitates & imperare pluribus posse.*

(p) Quod autem sub his nominibus ex demum Regiones hic intelligantur, quæ ab aliorum, praterquam communis Reip. imperio liberæ, ex datâ suprâ definitione satis intelligitur.

(q) *Ad Lampad. P. III. Cap. 5. §. 5.*

(r) *Prodrom. rer. Alsat. pag. 244. ad quem locum alibi plura memorabimus.*

(s) Exempla dabimus alibi.

(t) *Chron. Slav. cap. 54. num. 7. & cap. 72. num. 1. apud Leibniz. Tom. 2. Script. rer. Brunf. & ex eo Alb. Stad. Chron. ad ann. 1138. Histor. Bardevici apud Meibom. Tom. III. S. R. G. pag. 62.*

(u) *De gest. Frider. I. Lib. 1. cap. 16. 18: Lib. 2. cap. 30. Add. Abbas Ursberg. ad ann. 1138.*

(v) *Lib. VI. cap. 4. §. 23.*

§. XII. Quodsi nunc hactenus dicta in unam summam colligamus, de observantia Imperiali (vv) circa coalitionem diversarum Germaniæ Regionum, ejusque legalitate, luculenter denuò constabit, & exinde de ceteris Regionibus, sigillatim haud memoratis facile judicari poterit. Evidem Civitates Imperiales (quas per totam ferè Germaniam seu liberas quasdam Reip. administrari annotavit (x) Guicciardinus) quod attinet, constat utique, eas nec inter se, nec cum Principatibus & Comitatu- bus, ita perfectè ac plenè coalescere posse, ut statum immediatis sibi nihilominus retineant, prius enim ob distan- tiam territoriorum fieri nequit, & utrumque ipsa regiminis forma, à Principatum & Comitatum rationibus planè diversa, impedit. Et sicut Civitas Imperialis, aliave Regio- statu

statu suo haud excidit, etiam si aliis Regionum Dominis certa quædam iuræ debeat, modò characterem Statutus Imperii & immedietaris illibatum retinent. Ità vicissim Civitates, aliis Regionibus planè unitæ, Imperiales ac liberæ esse definiunt, etiam si pristinæ libertatis simulacrum aliquod retinuerint. Ex simulachris enim & modò administrandi externo, interiorem Civitatis formam, ejusque statum di-judicari non posse, per regulas Prudentiæ Civilis notissimum est. Quodsi autem casus contingat, in quô id re verâ actum appareat, ut Civitas Imperialis ex coniunctione cum Principatu vel Comitatu, nullam prioris conditionis mutationem patiatur, ipsa associatio, potius ad instar fœderis inæqualis se habebit, quam ut veram *coalitionis* speciem constituat. Illud denique addimus, quibusdam Civitatibus Imperialibus integros Comitatūs & Baronatūs accessisse, eoquæ intuitu in Recess. Imp. de anno 1542.

§ 92. Civitates memorantur, so eine oder mehr Herrschafften auff dem Lande haben. Et ipsum Instrum. Pacis Artic. VIII. §. 6. regalia ipsis confirmat, cum omnimodâ Jurisdictione intra muros & in territorio. Hoc ipsum latius nunc prosequi, tum & ad reliquas thematis partes, supra enumeratas, pergere animum euidem induxeramus, verum supervenientibus aliis impedimentis filum hâc vice abrumpere cogimus.

(vv) Quando ad eam firmandam exempla priorum seculorum in superioribus passim allegavimus, id non cō intuito factum, ac si vel ad ipsa Carolingiorum tempora existentiam superioritatis territorialis referamus. Contrarium enim jam supra profecti sumus. Quin ideo potius id fieri debuit, quod quædam ex membratis *coalitionibus* ad hodierna usque tempora persistenterint, tum & observantia ex plurium seculorum memoria haud parum adstrueretur. (x) In Descript. Belagi pag. m. 129.

C 2

(y) Hoc

(y) Hoc, nimirum volumus, Civitates Imp. perinde coalescere non posse ac Basileam inferiorem & superiorem, cum à diversis fundatoribus extrectæ, diversisque imperiis subfuissent, tandem in unam urbem unamque Rempubl. coaluisse refert Ursus in Hist. Basil. & Aen. Sylvius in Descript. Basil.

(z) Ità de Dortmundā Comitatum Dortmundensem, Ulma Comitatum Albec tenente vid. Knipschild Lib. III. Cap. XII. §. 54. add. Limn. 7. P. Lib. VII. passim & Tom. IV. Addit. ad Lib. VII. cap. 50. ubi ex Fabri Hist. Suev. refert: quendam Werdenbergensem Comitem, libis dulciariis ab Ulmensibus acceptis, Albeccensem Comitatum insuffisse, de qua historiolâ viderint alii. De Norimberga & Brema, vid. Hert. de Dissert. I. §. 16. ibique allegati.

Tantum!

## Corollaria.

### I.

Quod in reliquis Jurisprudentiæ partibus ratio præstat, illud in jure Publico Germaniæ Historiam præstare, omnino verissimum existimamus.

### II.

Prout verò generatim in rebus historicis & quæ traditione nituntur, circumspectè incendum, ità quoque in Historia Germaniæ, non unâ cautione opus.

### III.

Ad fidem Scriptorum medii præsertim ævi dijudicandam, eadem Regulæ generales usuveniunt, quas alicubi Launojus suggerit, nimirum (1) iis potissimum auctori bus fides habenda, qui eodem tempore quo res gestæ sunt,

sunt, scripserunt; nisi autor æquè contemporaneus, probitatis & scientiae nomine cognitus, contrariam sententiam tueatur, aut aliunde pateat eos affectibus indulisse.

## IV.

(2) Post contemporaneos Scriptores, iis qui tempora de quibus egerunt proximè attigerunt, magis credendum est, quam catenis qui remotores inde fuerunt.

## V.

(3) Historici, qui videntur apocryphi, aut qui sunt anonymi, recentiores item si rationi, aut constanti veterum traditioni adversantur, nullius ponderis aut momenti sunt habendi.

## VI.

(4) Non facilè fides danda est Scriptoribus nostri temporis, de antiquitatibus aliquid commentantibus, nisi auctores veteres pro sua sententiâ allegent, & cum iis exactè convenient.

## VII.

Impeditissimam in Historia Francicâ ac difficillimam septimi à natô Christô seculi Chronologiam esse, Viri docti dudum observarunt, & vel sola controversia de anno emortuali *Dagoberti I.* satis evincit; Prout verò *Valesius, Mabillonus, & Cointius*, solidè probatum dederunt, secundum regni *Dagobertini* annos, non à morte patris *Clota-rii II.* sed à suscepto Regnô *Austrasico* computandos esse, ità memoratum *Dagobertum* anno 638, & non, quod communior sententia vult, anno 644. demum obiisse, defendemus.

## IIX.

Ut ut pactum quô venditor tributa fiudi in se recipit, fisco non præjudicet, tamen ratione contrahentium non omni effectu destituitur.

Quanquam responsa Mercatorum vulgo *Parere dicta*,  
 Judex præcise sequi non teneatur, eum tamen pro quō  
 concepta, ut probabilem litigandi causam habentem, à  
 refusione expensarum liberare valent.

**E**CK, almus Themidis cultor & arduus  
 Andis, quod meritis convenit optimis.  
 Laudandum hoc *Studii* non moriens decus,  
 Quō TU mirificè condecoratus es.  
 Hoc non imber edax, non aquilo potens  
 Devastare valent, non fuga temporum.  
 Accedit pietas, quæ, quia perplacet,  
 Donabit monumentum ære perennius.  
 Regalique situ pyramidum altius,  
 Donis ergo TUIS gaudeo de bonis.

*Ita Nobil. Dno Respondenti Jurium Candidato  
 benemeritissimō, Auditori ac Hosti ob  
 raras morum, ingenii, doctrinaque doles  
 singulariter sibi charō applaudit*

### Dissertationis PRÆSES.

**I**N Themidis Cathedram dum te scandisse videmus,  
 Ut iradas quo Jure queant coalescere Terræ,  
 Integritas fidei qua Te veneramur Amice,  
 Suadet, pauca Tuis thesibus postponere vota.  
 Optamus cunctis quævis felicia ceptis,  
 Ut studiis adsit summus Moderator Olympi.  
 Et Veneranda Themis portas Tibi pandat honoris.

Sic

Sic rosa de spinis surget, tantique laboris  
Multos accipies magno cum fœnore fructus.

*Honoris & amoris causa gratulabundi  
paucula hac apponunt*

## COMMENSALES.

**A**ngulus es, quales non continet *angulus* omnis:  
Juris Consultos *angulus* omnis habet;  
Sed non Juridici sunt veri nominis omnes,  
Quos jam permultos *angulus* omnis habet.  
Ait ECKI suavis, quo non mihi suavior alter,  
*Angulus* es Themidos, Tu mihi crede, latens,  
Ex quo proveniunt Ejusdem dogmata sacra,  
Quæ collegisti ritè labore Tuo.  
Sit Jus Naturæ Civiléve Canonicumve,  
Publica Jura sient; omnia trita Tibi.  
Horum dat specimen Tua Dissertatio præsens,  
In qua perdoctè Publica Jura doces,  
Hic Diversarum Coalitio dum Regionum  
Panditur à Musa, Suavis Amice, Tua.  
Gratulor inde Tibi, præclaros gratulor ausus;  
Sanè non tales *angulus* omnis habet.  
Digna brabéa feres, mox tempora cinget Apollo,  
Et Themis ipsa Tibi præmia justa dabit.

*Pauculis hisce Nobilissimo nec non Doctissimo  
Dn. Autori, Amico suo non e multis, ru-  
di quidem Minervâ, prolixò tamen cordis  
affectu gratulari voluit, debuit*

CHRISTIANUS FRIDERICUS GOY.

Nomi-

**N**omina, continuum tandem viatura laborem,  
Et Tibi nunc merito publica vota canent.  
Ascendis celebrem dum nunc, Vir Amice, cathedram  
Insigni clari doctus ab arte Ducis:  
**O** precor, innumeros talis servetur in annos  
Cujus alit tantos impigra cura viros.

*Hac paucula Nobilissimo ac Doctissimo Dn. Can-  
didato Amico suo ac Fauori Dilectissimo,  
gratulabundus adscribere voluit*


**J. H. DILTHEY,**  
J. U. S. Hanoviensis.



**V**irtutis soboles honor est: Non miror Amice,  
Matri cum studeas, ducere Te sobolem.

*Ita Nobilissimum atque Doctissimum Dn. Can-  
didatum gratulabundus excipit, ami-  
cus, qui*

**Jpsum Colit Decenter.**




Marburg, Diss., 1708-18

f



TA-70L

nur b verknüpft



B.I.G.

Black

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Black

White

8

Centimetres

1

Inches

1

Farbkarte #13

DISSERTATIO JURIS PUBLICI  
*DE*

# COALITIO- NE DIVERSARUM GERMANIAE REGIONUM,

ASSISTENTE DIVINA GRATIA  
*In illustri Academia Marburgensi,*

PRÆSIDE

*Viro Nobilissimo Amplissimo & Consultissimo*

## DN. JOH. WILHELMO

*Waldschmiedt /*

U. J. D. Profess. Juris & Philosoph. Pract. Ordinario  
h. t. Academiæ RECTORE Magnifico,  
*Præceptore ac Patrolo æternum Venerando,*

Publicæ disquisitioni

Ad Diem XV. Martii M DCCXIV.

IN AUDITORIO JCTORUM

submittet

A. & R.

JACOBUS ECK, Colonensis.

*Marburgi Catorum, Typis Henningi Mülleri, Acad. Typ.*

